DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

DYSENTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES PARKE,

HIBERNUS,

COLLEG. REG. LOND. CHIRURG. SOCIUS.

"Nulla re homines propius accedunt ad Deos, quam salutem homi-
"nibus dando." CICERO.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT J. PILLANS ET FILIUS.

MDCCCXXI.

REVERENDO

GULIELMO DEAN HOARE,

LIMERICI,

VIRO

PRIMO, PROBATISSIMO, OPTIMO,

LITERISQUE HUMANIORIBUS EXORNATO;

ET ETIAM

SUMMA ERGA DEUM PIETATE,

UNIVERSOSQUE HOMINES BENEVOLENTIA,

INSIGNI;

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

AMICITIÆ, VENERATIONIS ET EXISTIMATIONIS

MONUMENTUM,

QUAMVIS VERO PEREXIGUUM,

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

GULIELMO PEAN HOARE,

ARMIGERO,

VIRO

LITERISQUE HUMANIORIBUS EXORNATO

SUMMA ERGA DEUM PIETATE

UNIVERSOSQUE HOMINES BENEVOLENTIA,

INSIGNI;

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

AMICITIAE, VENERATIONIS ET EXISTIMATIONIS

MONUMENTUM,

QUANVIS VERO PEREXIGUUM,

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DYSENTERIA.

QUONIAM leges hujus Almæ Academiæ ita statuunt, ut quicunque summos in re medica honores assequi velint, iis necesse sit aliquid sub forma dissertationis in vulgus edere; ideo his legibus morem gerens, pauca de Dysenteria conscribere decrevi.

HISTORIA MORBI.

DYSENTERIA plerumque sub finem æstatis vel autumno invadit, aut in ea anni tempestate quâ calidos dies frigidæ humidæque noctes excipiunt. In regionibus calidis potissimum ingruit, et in his est violentior morbus quam apud nos. In nostris regionibus per hiemem crebro invadit. Nulli ætati, nulli sexui parcit, et debiliores potissimum aggreditur. A Culleno celeberrimo definitur, "Pyrexia contagiosa dejectiones frequentes mu- "cosæ vel sanguinolentæ, retentis plerumque "fæcibus alvinis tormina tenesmus." Hæc definitio inaccurata est, nam multa exempla observantur ubi Dysenteriam nulla Pyrexia contagiosa

comitatur, ut sæpe in nostris regionibus videmus; mihi igitur videtur hunc morbum nusquam contagiosum esse.

Ægrotus rigoribus, dolore capitis, et oppressione circa præcordia, nonnunquam corripitur, et cum his calor auctus, inquietudo, sitis, pulsus durus et frequens, interdum debilis superveniunt. Plerumque anorexia, lassitudo, inflatio ventriculi, obstipatio, sapor oris amarus, nausea et vomitus biliosus, Dysenteriam antecedunt. Paulo post, tormina immania abdominis, cum cupiditate alvum exonerandi frequenti, sentiuntur.

Interdum sed rarius tamen morbus cum Pyrexia nulla incipit, et tantum dolore intestina afficiuntur, fæces naturales fere, sed morbo progrediente, parcæ, duræ et rotundæ fiunt, et pars maxima muco constat et sanguine tincta est; defectiones dolores graves antecedunt, tenesmo comitante. Hic morbus varia nomina accipit pro dejectionum vario genere. Quum inter fæces sanguis apparet, fluxus sanguineus; sed cum nullus sanguis in fæcibus reperitur, Dysenteria alba nominatur. Pyrexia comitans interdum inflammatoriæ febris, interdum intermittentis remittentisve formam assumit; sæpenumero Typhi speciem induit.

Morbo invadente paucis diebus, ventris inflatione ægrotus vexatur, amarus sapor in ore sæpe

sentitur. Multum in levanda alvo laborat, vigiliâ vexatur, et perpetuis defectionibus. Recti inflammatio haud raro inducitur; interdum post dolorem autem scybalæ inter fæces evacuantur, quas torminum levamen, haud longum in tempus duraturum, sequitur. In exemplis quibusdam, sanguis, in quibusdam pus torminibus exinde imminutis, dejecta sunt; nonnunquam materia saniosa immiscetur, et interdum filamenta membranacea; una cum his, massulæ similes sebaceis vel caseis moleculis excernuntur. Initio morbus plerumque inflammatorius est; in decursu, inflammatorii generis symptomata evanescunt, et typhoideæ formam assumunt, cum signis fluidorum conditionem laxam et dissolutam demonstrantibus. In hoc gradu morbi prolapsus ani haud infrequens est. Urina nunc rubra et parca, et cum dolore redditur. Cutis plerumque arida est; lingua initio albidâ, dein crassâ quâdam et fusca materia, tegitur; abdomen tensum fit, et tactum refugit. Si morbus lethalis futurus sit, omnia hæc symptomata ingravescunt, debilitas summa fit, interdum syncope occurrit, partes extremæ frigescunt, dum calor insuetus in pectore ardet. Sudores frigidi prorumpunt, præsertim super faciem et pectus. Fæces inscio ægro elabuntur, nigro colore et admodum graveolentes. Magna emaciatio corporis aggreditur, fauces apthæ obsident,

pulsus parvus et tremulus fit; delirium mite accedit, dolores evanescunt; æger miserrimus cito moritur, intestinis interdum signa gangrenæ ostendentibus. Dysenteria maligna formam supra dictam in plurimis exemplis induit si neglecta fuerit, vel si imperite tractata sit; sed quibusdam in exemplis morbus sponte cessat, liberâ intestinorum evacuatione ultro inductâ, dum tormina et tenesmus gradatim subsident; interdum Dysenteria in Diarrhœam desinit, et nonnunquam initio morbi hæc evacuatio fausta est.

Tempus per quod durat morbus, multum variat; medicamentorum usus, aëris temperies, nec non cura quam ægrotus habeat, plurimum ibi valent. Quibusdam in hominibus tantum per unam vel duras septimanas affectio permanet, dum in aliis per duorum triumve mensium spatium durat. Ægrotus longâ duratione morbi exhaustus tardius vires recuperat; et nisi summa cura adhibeatur, periculum erit, ne denuò in morbum relabatur, quod equidem in Dysenteriâ frequenter evenit.

CADAVERUM SECTIONES.

Intestina magna, rectum præsertim, et pars inferior coli, plus minusve inflammatione affecta et aere inflata inveniuntur. Tunicas crassiores solita habent, et signa gangræna interdum exhi-

bent; tunica villosa sæpe abraditur, partes inferiores coli et recti ulceribus obsidentur. Intestina minora morbi vestigia haud tam manifesta produnt, sed inferior pars notas inflammationis frequenter exhibet, et circumvolutiones intestinorum præter naturam sæpe cohærent. Glandulæ mesentericæ interdum ampliores redduntur, abscessuque hepatis persæpe extant.

DIAGNOSIS.

Multi sunt morbi quibuscum Dysenteria confundi possit in primis stadiis, scilicet, Diarrhœa, Cholera Morbus, Colica, Enteritis, &c. Diarrhœa a Dysenteria dignoscitur, quia Pyrexia præsertim caret, fæces naturaliter dejiciuntur, nec scybalis nec sanguine commistæ, tenesmus Dysenteriæ in Diarrhœa abest. Signa quæ distinguunt hunc morbum a Cholerâ sunt, spasmi crurum, et copia bilis immensa, quæ et vomitu et alvo ejicitur, viribus subito prostratis, et cholera minime contagiosa est. Colica a Dysenteria distinguitur dolore abdominis præcipue circa umbilicum torquente, alvi obstipatione, umbilici retractione, et dolore, cum venter premitur, imminuto. Enteritis a Dysenteriâ distinguitur, Pyrexiâ magis sæviente in Enteritide, vomitu constante, alvo pertinacius astricta, dolore magis fixo et vehementius urente, &c.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Omnia quæ corporis humani vires debilitant, ut diæta parca et parum nutriens, vel prava et putrescens, evacuationes immodicæ, animi pathemata deprimentia, aqua et aer impurus, hæc et similia, homines non solum Dysenteriæ sed aliis morbis contagiosis obnoxios reddunt. Sæpe timidi et mœsti morbis afficiuntur, dum isti qui periculum spernunt, immunes evadunt. In Nosocomiis navium et castrorum, illi qui ab aliis morbis jam convalescunt, ante alios Dysenteria corripi videntur. Ebrietas quoque venusque nimia inter causas habendæ sunt. Ingurgitatio liquorum ardentium, tonum ventriculi comminuit, Dysenteriam, morbos viscerales, et magnam debilitatem producit; sed ante omnia, calor et humiditas aëris atmospherici, vel subitæ caloris et frigoris vicissitudines magnopere inducunt vel excitant Dysenteriam; nam invenimus morbum in nullos majorem sævitiam exercere quam et nautas et milites, qui, postquam ardoribus solis expositi fuissent, rursus paucis horis aeri nocturno exponuntur, quo transpiratio per cutem subito reprimitur. Et immundities et incuria sunt etiam causæ, nam perspiratione obstructa, exhalationibus noxiis via negatur.

CAUSAE EXCITANTES.

Hic morbus iisdem fere ab causis, et in statu loci et aëris eodem, quibus febres remittentes et intermittentes oriri videtur. "In the end of the "summer," ait Pringle, "or autumn, when any "number of men are exposed to night-damps or "fogs, or lie upon wet or marshy ground, espe- "cially after a hot day, part of them will be seiz- "ed with a fever of the remitting or intermitting "kind, and part of them with dysentery."

Nilus Ægyptum postquam inundaverit, et aquæ jam stagnantes exhalari cœperint, maxime tum febres intermittentes, remittentes, Dysenteriæ, et alii ejus generis morbi ingruunt.

Dubitaverunt quidam an Dysenteria sine contagio oriri possit. Satis mihi placet opinio eorum, qui putant applicationem frigoris corporis (reprimendo perspirationem et divertendo majorem fluidorum copiam ad intestina) sine ullo miasmate vel contagio, huncce morbum inducere posse. In calidis regionibus, ubi mutationes temperiei subito accidunt, et frigus nocturnum æstuantes dies sequitur, vapores qui ex terra exhalantur, nocte condensantur, et in forma roris descendunt. Corpus humanum antea calore relaxatum his causis multum afficitur, et halitus cutis subito reprimitur. Tum perspiratio supprimitur; tam arctus consensus est inter corporis superficiem et tunicam intes-

tinorum internam, ut in hanc membram exhalatio impellatur, inde secretio aucta et morbosa locum naturalis occupat, et partes internas stimulat, et excretiones morbosæ et inflammatio membranæ mucosæ subsequuntur, omnia quæ symptomata (pyrexia comitante) dysenteriam malignam constituunt. Ex supra dictis nihil mirum est dysenteriam frequentius autumno grassari, et plerumque inter milites sævire, præsertim in regionibus æstivis, ubi aëris temperies per noctem multum et subito mutatur; milites et pauperes ærumnis multis objiciuntur, calori; deinde frigori et pluviæ sæpenumero exponuntur; frequenter inediam et graves labores ferunt, et per noctem humi, vel in humidis locis decumbere necesse est, ubi somnum recreantem carpere non possunt. Interdum aqua impura causa excitans est; hæc, ut sæpe vidi, diarrhœam excitavit, quæ nonnunquam in dysenteriam degeneravit. Nonnulli putavere bilem quantitate auctam ad dysenteriam producendam contulisse, sed bilis purgativum est intestinorum naturale, et fere omnia ea quæ ad alvum solvendam conferunt, levamen tamen dysenteriæ præbent. Congestiones bilis viscidæ quæ interdum in vesica fellea post mortem reperiuntur, indicant fluxum bilis in intestina obstructum potiùs quam auctum fuisse.

CAUSA PROXIMA.

Auctores de causâ proximâ hujus morbi inter

se variant, alii materiam acrem et putrescentem in corpus recipi putant, irritationem in intestinis producentem, quam tunicæ villosæ abrasiones et dejectiones fœtidæ et frequentes comitantur, alii affirmant, quorum Cullenus præclarus est, causam proximam hujus morbi spasmodicæ constrictioni coli tribui posse, sed irritatio et inflammatio tunicæ mucosæ, coli et recti constrictionem spasmodicam aliquando forsan producunt, et proximam causam Dysenteriæ constituunt. Sectio cadaverum hanc sententiam magnopere firmat, nam in tunicâ villosâ intestinorum notæ inflammationis deteguntur. Vascula minima distenta sanguine reperiuntur, et tunicæ intestinorum majorum crassiores et duriores fiunt, et effusiones sanguinis subnigri inter tunicas eorum interdum notantur. Aliquando intestina alia aliis præter naturam adhærent. In intestino majore exulcerationes et gangrænam nonnunquam videmus.

RATIO SYMPTOMATUM.

Si irritatio et inflammatio tunicæ mucosæ intestinorum proxima causa hujus morbi sunt, signa Dysenteriæ facile explicari possunt; nam sensibilitas membranæ internæ inflammatione augetur, secretio morbida imprimis viis irritationem et dolorem inducit, ex quibus tormina oriri videntur. Constrictione inflammatoria et forsitan spasmodica

fæces in cellulis coli retinentur, et massulæ indu-ratæ fiunt, et corpora extranea et irritantia eva-dunt. Omnia symptomata graviora fiunt, ingen-tes nisus doloresque torquentes gignuntur. Fla-tus, nausea, vomitus, a debilitate ventriculi vel ab materiâ acri oriuntur. Inflammatio rectum intes-tinum irritat, unde dejectiones frequentes et acres per illud transeunt, et tenesmus, interdumque prolapsus ani oriuntur, et ægrotum multùm de-fatigant, et nisibus permagnis ægroti in alvo le-vanda vascula extrema rumpuntur, et inde sanguis fæcibus commistus est. In Dysenteria inveterata ulcerationes eveniunt, et vasa erosa sanguinis magnam copiam effundunt. Irritatio consensu a vecto usque ad vesicæ collum extendens, inter-dum stranguriam efficit. Fimbriæ membranaceæ quæ in dejectionibus videntur, ab actione morbidâ intestinorum secernuntur, vel a tunicâ mucosâ ab-rasâ formantur. Massulæ sebaceæ vel caseæ ex muco coacto componi possunt, et istæ ex longiore in coli cellulis retentione formam acquirunt.

PROGNOSIS.

Eventus hujus morbi in dubio pendet, et ante-quam judicium dare licet de eventu, ad multa in unum allata attendere debemus, scilicet, duratio-nem morbi, anni tempestatem, ætatem viresque ægri, aërem purum, et cœli temperiem cui assue-

tus fuit, causas prædisponentes et excitantes morbi, et an simplex aut complicatus sit; et multum (ut in omnibus morbis) ab affectibus ægrotantis animi pendet. Prognosin faustam formare licet, cum fæces fere naturales, copiosæ, nec torminibus comitantibus, nec tenesmo sequente dejiciuntur. Pyrexia levis, sudores lenes et calidi per totum corpus diffusi; pulsus mollis et non frequens, et abdomen molle et non tactum refugiens, signa propitia sunt. Contra, cum dejectiones frequentes fiunt, et tormina non levant, cum fæces fætidum odorem emittant, et in abdomen tensum evadat et tactum refugiat, si tenesmus perpetuus et febris genere typhoidea comitantur, summum periculum minitantur. Insuper vomitus, magna virium diminutio, lingua arida et nigra, respiratio difficilis sine pulmonum morbo, singultus, delirium mite, sudores frigidi super faciem et pectus erumpentes, apthæ, vultus collapsus, extrema frigida, deglutitio difficilis, dolor subito cessans, fæces inscio ægro elapsæ, dum pulsus debilis et intermittens fit, corporis fætor cadaverosus funestum exitum demonstrant.

RATIO MEDENDI.

Pauci sunt morbi quibus neglectis graviores edit effectus quam in Dysenteriâ, nam auxilio neglecto, aut indicationibus imperite sumptis, om-

nia in pejus degenerant, et æger vel cito fato succumbit, vel functiones omnes diuturnitate morbi infirmantur, ut denuo Hydrops aut Tympanites succedat, unde post miseram vitam protractam, æger demum eam morte multum optanda commutat. E contrario autem, omnibus tempestive et perite peractis, morbus ex votis brevi solvitur.

In principio venæsectio, si diathesis phlogistica multum urgeat, est adhibenda. Priusquam vero ad venæsectionem confugimus, omnia sedulo perpendere debemus. Si pyrexia vehemens, ætas florida, pulsus validus et durus, et dolor abdominis atrox adsint, venæsectio in initio adhibenda est et repetenda donec diathesis phlogistica amoveatur; sed ubi hunc morbum inflammatio aucta non comitatur, venæsectio cautâ manu utenda est, præsertim in nosocomiis, si Typhus sævit, missio sanguinis incauta maxime nocet. Emetica a medicis plerisque ineunte morbo laudantur, et certe ad ventriculum evacuandum, cum eum prave et sordide se habere symptomata monstrant, et ad febrem abigendam, utilia sunt. Cursum humorum in intestina et ad superficiem corporis revocant, propter consensum qui inter ventriculum et cutem est. Si vero diathesis phlogistica cum impetu sanguinis aucto in vasis cerebri adsit, emetica evitanda sunt, nisi in minimis dosibus ad nauseam excitandam, donec aliis evacuantibus febris Syno-

cha subigatur. Varia horum genera quotidie in usu inveniuntur, qualia pulvis ipecacuanhæ, infusum anthemidis nobilis, tartras antimonii. Sed ad vomitum movendum in hoc morbo pulvis radicis ipecacuanhæ magno cum successu administratur. Emeticum die secundo repetatur, si nausea et malus oris sapor urgeant. Aliquando accidit ut nausea perpetua maneat, tametsi ventriculus bene evacuatus fuerit, tunc haustus effervescens cum opio, tumultum sedabat. Interdum regionem epigastricam stimulare opus est linimentis, vel emplastro cantharidum.

Cathartica remedia, de quibus nunc dicturi sumus, sunt talia quæ ab omnibus olim commendata fuerint ; et nunc fere omnes Medici administrant cathartica in Dysenteria ; in his exhibendis auctores multùm inter se discrepant ; nonnulli cathartica mitia ineunte morbo adhibere commendant, et fortiora raro in ullis morbi stadiis ; aliis vero placet purgativis fortioribus uti. Sed in medio tutissimus ibis. In principio si adsint inflammationis symptomata, cathartica mitiora utenda sunt nisi sæpe repetita, nostras spes frustrentur ; tum medicamenta fortiora et acriora (symptomatibus inflammationis amotis), optimo cum effectu administrantur.

Sulphas Magnesiæ, Sulphas Sodæ, Phosphas Sodæ, Oleum Ricini, et talia purgantia mitiora

si dejectiones liquidas tantum eliciunt, et scybalæ et fæces solidæ retineantur, non levamen afferunt; si vero cathartica fortiora administremus, dejectiones copiosas sæpe elicere, et morbum expellere possumus.

Ex omnibus medicamentis quæ in Dysenteria adhibentur, nullum, quantum scio, præstantius et efficacius est quam submurias hydrargyri ad fæces diu retentas expellendas. Dosis Submuriatis Hydrargyri nocte, et Sulphatis Magnesiæ mane sequenti, adhibendæ sunt; et in his omni nocte et mane, vel secunda quaque nocte ac mane, pro ratione ætatis et virium ægri, perseverandum est donec dejectiones copiosæ et fæculentæ fuerint et dolores abdominis et tenesmus mitigati sint, et repetendæ sunt dum sellæ fœtidæ, nigræ et parum naturales apparent. Diluentia et demulcentia blanda et tepida ad acrimoniam fluidorum in ventriculo et intestinis corrigendum et exhalationes per cutem eliciendum, et diathesin phlogisticam imminuendum, adhibenda sunt; medicamenta quæ sudorem cient levamen afferunt; hoc modo submurias Hydargyri sæpe sublevabit; nam si in dosibus exiguis adhibeatur, ad cutem determinat. Submurias Hydrargyri inflammationes internas devincendo magnopere pollet, ut in Cyranche tracheali et Pnemonia sæpe videmus; et similiter forsan in Dysenteria cu-

randa aget. Quomodo Submurias Hydrargyri operetur difficile est explicatu, nisi novam aut alteram irritationem inducit, per quam actio inflammatoria solvitur, vis submuriatis hydrargyri, Hepar stimulare, secretionem bilis promovere fœces induratas expellere et excretiones revocare, valet ; etiam in Dysenteria puerili usus ejus semper tutus et efficax est. Cathartica quæ vim suam in rectum præcipue exercent, sunt evitanda (qualis est aloe) hæc enim pars canalis alimentaris interdum exulcerata vel abrasa invenitur. Clysmata emollientia vel oleosa pro re nata injicienda sunt, non solum quod materiam irritantem amovent, (hoc enim efficacius ope cathartici fieri potest,) sed quod acrimoniam fœcum vel humorum in recto obtundunt, et tunicas ejus quasi oblinunt, et minus irritabiles reddunt, et spasmum quodammodo relaxant.

Medicamenta anodyna plerumque in hoc morbo porriguntur, sed si intempestive vel incaute dentur, multum damni afferunt. Ad tormina levanda potentissimum procul dubio opium est et dari licet post plenam alvi solutionem, et ubi corporis irritabilitas et longa somni interruptio urgent. Sub formâ enematis opium multum levaminis affert, præsertim si tenesmus post purgationem pertinax sit ; enemata amyli cum opio multo cum fructu injiciuntur. Quando in diarrhœam Dysenteria

desinit, ab opio curatio maxime pendet. Vires ægri alendæ sunt victu lacteo, diæta expanatilla ptisana, pane tosto et lacte cum aqua misto, aut cum tritici farina cocto et talibus constare debet. Quamvis in primo hujus morbi stadio vinum, juscula e carne et talia non adhibenda sunt, sub finem ad vim corporis reficiendam necessaria sunt. Per totum Dysenteriæ cursum cura maxima munditiei adhiberi debet, tum in vestibus stragulisque mutandis, aërisque frequenti ventilatione quem ægrum inspirare necesse est; vestes calidæ et ad corpus fovendum aptæ, summi momenti sunt; frigus evitare summa ope ægrotantem decet, et abdomen circumdare fascia panni lanei multum confert.

In secundo Dysenteriæ stadio astringentia et tonica adhibenda sunt, ut mimosa catechu, kino, extractum hæmotoxyli camp. et talias pulvere vel infusione Rhei in dosibus exiguis subinde utendum est. Tonica sunt, Cortex Quassiæ, Simaroubæ, Angusturæ, Cascarillæ, Radix Colombæ, Gentianæ, &c. Interdum Pulverem Radicis Ipecacuanhæ cum opio dosibus exiguis feliciter dedi. Vinum, diæta nutriens, exercitum, dummodo non irritant, multum adjuvant. Omnia vero quæ alvum irritant sunt evitanda. Quum hydrops hunc morbum subsequitur, diuretica cum tonicis, diæta nutriens, vinum moderate sumptum, multum adjuvant.

Si hydrops ab obstructione viscerali oriatur, massa pilularum hydrargyri vel frictio cum unguento adhibendæ sunt, et per totum cursum hujus stadii vires victu generoso adjuvandæ sunt.

FINIS.